

rem, vt sciatur an conuerti velit, vel cohabitare sine contumelia Creatoris. Non tamen necessarium esse separationem iudicialem, licet vtilis sit, sed quamcumque aliam, per quam certa haberi notitia possit, sufficere probationem. Addit *num. 7.* negari non posse prædictam declarationem fuisse duriusculam, & molliendam additione illâ. Iuxta quem dicendi modum in Decreto prædicto nihil habetur speciale, cum ex eo tantum deducatur id, quod iure Canonico dispositum inuenitur: posse videlicet coniugem conuersum ad alias nuptias transire, si legitimus conuersus in suâ infidelitate permanserit, pro quo à nobis dati Textus plures *num. 406. & seqq.* Non videtur autem id credible, quod nec verba præferebant, neque conueniens apparet vt tanti Pontificis declarationem duriusculam pronuntiemus. Vnde in editione posteriore id sublaturum, neque declarationis Pontificiæ ad Indias spectantis mentio vlla, & quod ad duritiam locutionis attinet, ob reuerentiam Apostolicæ Sedis fieri potuit: aliud autem, quia declarationis notitia peculiaris defuit, vt in aliis accidit ad Indias pertinentibus. Est autem in posteriore editione Consilium primum citati libri & Tituli, sicut tertium quod est in priore secundum: quod & consuli vtiliter potest continet enim pro materiâ præsentis doctas & vtilis decisiones.

53 Illa autem quæ est in prædicto Consilio secunda, ad casum, de quo agimus, specialius conducit, dum statuit Pontificem posse dispensare in matrimonio infidelium, quando coniux vterque conuertitur, sicut potest in matrimonio fidelium rato & non consummato. Matrimonium enim ratum Fidelium maioris roboris est, cum sit Sacramentum, quod plus est quam ratum, sed contractus purus habens inseparabilitatem moralem solâ lege naturæ inductam. Hoc ergoposito, si iusta & pia dispensandi causa sit cum Fidele conuerso, & vxor pariter conuersa consentiat, de quo agit circa dubium tertium, nihil valori & conuenientiæ, dispensationis obstabit. Iuxta quam doctrinâ dici potest Pium V. in præfato Decreto, maiori cum fundamento processisse: dispensauit enim iusta exigente causa, non vt absolute nubat Fideles conuersus, cum ducendo vxorem ex Fidelibus, quæ sibi placuerit; sed quæ pariter conuersa est, vt sic etiam eidem faueat: dum enim prima vxor conuerti nequit, videtur nuptius cum alia consentire.

54 Quibus addi potest etiam renuente vxore stare posse dispensationem: quia licet communiter loquendo Papa non præiudicet iuri tertij, iuxta regulam Cancellariæ: præiudicare tamen potest, iustâ interueniente causâ, vt ostendit Nauarrus citato Consilio, aliâ tertio, *num. 15. & 17.* quam doctrinam causâ præsentis adaptat, independentè à consensu vxoris. Si enim ille necessarius est, iam non datur præiudicium tertij, quia scienti & volenti non fit iniuria. Licet ergo regulariter loquendo standum sit dispositioni Cap. *Gaudemus*, ex eâ non tollitur quin locus sit dispensationi, & attentâ Indorum indole iudicari causa sufficiens potuit quæ superius est tradita *num. 425.* vnde P. Cornelius in citatum locum Apostoli *5. Adde Concilium*, ait quod licet Canon Concilij Toletani prohibentis cohabitatio-

tionem non obliget generaliter, quia Concilij Provincialis est: dato tamen quod de infidelibus absolute loquatur, & non tantum de Iudæis, (quod ipse negat) fecus esse in Hispaniâ, & vbi Ecclesiâ hoc statuere vellent, cessante scandalo, & impedimento eâ de causâ conuersionis.

55 Si dicas hoc non esse doctrinâ à nobis traditâ *num. 408.* conforme, iuxta quam coniux volens sine contumelia Creatoris cum coniuge conuerso habitare, dimitti non potest aliarum intuitu nuptiarum, pro quo & stat P. Arriaga *Disputat. 25. de Fide, num. 40.* quia non potest humana dispositio Christi præcepto ab Apostolo promulgato contraire. Responderi conuenienter potest, *Primo* iuxta sententiam, de qua citato *num. 408.* non esse præceptum, sed Concilium: pro quo videri potest Leander *Tomo 2. Tractat. 9. Disput. 12. Quæst. 10. P. Egidius Disputat. 26. de Sacramentis, qui n. 61.* specialiter declarat quomodo non obstat Cap. *Gaudemus*. Et P. Iustinianus in *1. Corinth. 7. v. 10.* vbi ait omnes ferè Doctores Scholasticos pro eâ esse sententiâ, in quo deceptus. Et ita illam amplecti Pontifices potuerunt, quia pro casu eis accidit opportuna. *Secundo*, etsi præceptum sit, locum esse dispensationi, sicut in votis & aliis est cernere, cum præsertim non sit in toto rigore diuinum, sed Ecclesiasticum, iuxta datam explicationem. Vnde in eo variationem esse posse, nedum dispensationem, tradit cum aliis P. Thomas Sancius adductus *numer. 410.* & Pontificem posse in quacumque lege Apostolicâ humanâ dispensare, communis est Theologorum sententia, vt videri potest apud Dianam *Parte 8. Tractat. 3. Resolut. 3.* Pro quo & facit P. Cornelius nuper adductus ad ostendendum locum esse dispensationi.

56 Quomodo autem diuinum præceptum dici possit, etsi aliâs Apostolicum, sic ex doctrinâ D. Augustini *Lib. 1. de adulterinis coniugijs Cap. 18.* optime explicari potest. Præmittens enim verba illa ex *1. Corinth. 7. v. 4. Puto autem quid & ego spiritum Dei habeam*, sic infert: *Proinde intelligendum est etiam ipsa, quæ à Domino non inueniuntur, sed à sancto eius famulo vtiliter suadente, eodem Domino inspirante suaderi, &c.*

57 Sed obici non leuiter potest, vt præceptum diuinum haberi debeat, & non Apostolicum. Nam ideo Apostolicum videtur dicendum, quia Apostolus id non obscure videtur indicare, dum ait: *nam ceteris ego dico, non Dominus.* Atque ea verba non ad sequentem, sed ad præcedentem sententiam pertinent, quatenus consilia pro cœlibatu tradiderat, vt docti tenent Interpretes, ex quibus Guilielmus Estius, pro eo laudans Ambrosium, Catharinum, & Ioannem Hesselium præceptorem suum. P. Cornelius, & P. Stephanus Menochius. Quod satis doctè & subtiliter ex ipso textu deducit ex citatis Patribus prior. Interpunctio enim correctissimæ Vulgæræ, iuxta quam post prædicta verba punctum extat, ostendit inter illa & sequentiâ nullum esse nexum. Tum quia illud, *Nam ceteris*, antithesim continet, vt est compertum; nulla autem aptior quam vt respondeat illi: *lis autem, qui matrimonio iuncti sunt* &c. vbi de matrimonio fidelium specialiter non loquitur, quando scilicet coniux vterque fidelis est; quia si ita esset, vnico verbo addito conuenienter

hænter expressisset, dicens videlicet: *Fidelibus autem, qui matrimonio &c.* licet *v. 5.* ad fideles obiter se conuertat, suadens vt ab vltu coniugij temperent, cum ex mutuo consensu vacent orationi. Leges ergo matrimonio proprias, secundum legitimam illius institutionem proponit, sicque planè diuinas. Cum igitur ad coniuges disparis cultus progreditur, continuatio aperta similis propositionis est, neque de suo quidquam ingerit, quod ad separationem pertineat: & ita volente coniuge infideli cohabitare, non licebit dimissio, & ad alias nuptias conuolare. Et ita semper ab exordio Ecclesiæ fuisse seruatum testatur Estius.

58 Sed hæc quidem non videntur vrgere, & in primis punctum post verba prædicta appositum. *Nam ceteris &c.* non arguit illa ad præcedentia pertinere: eo enim stante currere Apostolica doctrina potest, communi Doctorum assensu recepta, vt, quod sequitur, illius præceptum sit. Licet enim iuxta communiore interpunctionis leges, aut comma, aut duo puncta subiicienda videbantur; stare optime potuit vnici puncti conclusio, quod sequitur, ita proponitur, vt integram sententiam supponat, dum Apostolus id, quod dicitur est, non Domini, sed suum esse præceptum statuit. Ac si dicat: *Quod sequitur, iam non Domini, sed meum præceptum est.* Quod si sub hac forma dixisset, punctum certè, & non comma, aut duo puncta apponi debuissent.

59 Quod quidem ex *versu 24.* vbi similiter loquitur, optimam habet probationem: sic enim ibi: *De Virginitate autem præceptum Domini non habeo consilium autem do tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis.* Et cum statim sequatur, quod se dixerat daturum esse consilium, verbis illis: *Existimo ergo &c.* nihilominus puncto sententia clauditur, ob rationem dictam, propter quam Sapientissimus Arias Montanus in translatione sua iuxta Græcum textum *Versu 10.* vbi Vulgata versio habet: *lis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præceptum non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere, &c.* Sic Græca secutus habet. *Matrimonio iunctis præceptum, non ego, sed Dominus. Vxorem à viro non discedere.* Puncto scilicet post vocem *Dominus* adiecto. Non ergo ab interpunctione solidum sumi argumentum potest pro fundandâ præfata interpretatione.

60 Quod autem Apostolus clarius potuerit loqui, (quod etiam obiciebatur) parum mouere debet, quia & hoc obici pariter sic arguentibus potest. Modus enim loquendi prædictus id sonat, quod sententia communi amplectitur, & vnus verbi mutatione cessabit dubitatio, si videlicet Apostolus ita diceret: *nam immptis ego dico, non Dominus.* Si omnia essent obuia & plana in Scripturis, non essent Interpretes necessarii. In *Matthæi 19. vers. 9. Dicit, Cur ergo, notat P. Cornelius*, cuius est præfata obiectio, quod dum concisè vult Euangelista vnâ oratione multa complecti, verum est in eo illud: *Dum breuis esse laboro, obscurus fio.* Opus ergo est vt in talibus elucidandis Interpretum laboret industria. Et antithesis quidem manifesta est, sed inter matrimonio iunctos, vtrique fideles, & disparis cultus. Quod enim cum prioribus loqua-

tur Apostolus, id indicat quod de abstinentia ab vltu coniugij dicitur, vt vacetur orationi: neque id solum, sed contextus totus. *Vers. 2. Vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaqueque suum virum habeat. Vers. 3. & 4.* soluendi debiti coniugalis proponitur obligatio. Quod equidem ad fideles spectat, quia responsio est ad illorum interrogationem, vt constat ex *versu 1. De quibus autem scripsisti mihi.* & illi de coniugibus disparis cultus nihil in ea quæstione, sed de fidelibus: de prioribus enim quæstio est tertia; & ita illas proponit P. Cornelius, vt videri potest in synopsi Capituli. In *vers. 5. 6. & 7.* De continentia agit intuitu orationis, & qualis in eo tenendus modus cum hortamento ad cœlibatum, pro quo se proponit exemplar. *Vers. 8. & 9.* non nuptis & viduis modum agendi præscribit. Et quis non videat hæc ad fideles tantum pertinere? *Vers. 10.* sequitur statim: *lis autem, qui matrimonio &c.* in quo apparet antithesis iis respondens, quæ immediatè præcesserat, de non nuptis inquam & viduis.

61 *Vers. autem 11.* indissolubilitatem matrimonij exponit, inter fideles inquam, quia cum illis loquebatur, neque ad ipsum spectabat leges pro eo infidelibus promulgare, vt testatur idem ad eosdem scribens Corinthios *Cap. 5. vers. 12.* cuius auctoritatem in causa præsentis adducit Innocentius Tertius in Cap. *Gaudemus*, dum cum ipso ait: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Quibus propositis, statim talem Apostolus subiungit antithesim, de qua differimus: Nam ceteris ego dico &c.* Ex quibus habetur non bene Estium asserere expositionem dictam argui improbabilem ex eo quod nulla significatio sit indicans Apostolum de coniugibus vtrique fidelibus locutum. Stat igitur à nobis tradita satis inconcussa doctrina, verbis Apostoli consona, & communi Doctorum sensu roborata.

62 Neque verum est Glossas aliquas in citata Capita Decretalia illi esse contrarias, vt ait P. Cornelius, qui vt veridicè amplectens sententiam nostram Iuri conformem, iuxta quam coniux sine contumeliâ Creatoris cohabitare volens, dimitti nequit, cum id prohibeat Apostolus, neque illius prohibitio solam habeat consilij vim *Versu 15. 5. Sed S. Paulus ita subdit: Id sane verius, quia, vt dixi, hoc tantum vult S. Paulus: & Canones citati, (scilicet Cap. Quanto. Cap. Gaudemus. Cap. Si Infidelis 28. quæst. 2.) & quia priores Doctores contraria sententia tantum nituntur Glossis in Capitulo, quæ paullo ante citauit: quæ Glossæ subinde Aurelianenses sunt, & textui deformes ac reformandæ. Sic ille, Aurelianenses Glossas vocans, id est, exigua auctoritatis, & vix alios quam suos ligare volentes auctores, allusione ad Aurelianas leges aut iudicia Caij Aurelij Cottæ, quarum auctoritas penes Senatores erat, & nonnullos alios.*

63 Non inquam est verum, quia Glossæ dictorum Capitulum nihil habent vlla ratione contrarium, vt consilienti constabit: immò aperte fauet Glossa in Cap. *Si Infidelis 5.* Hæc distinguendum, sic enim ibi: *Gratianus bene distinguit in hoc 5. dicens quod si alter coniugum fuerit conuersus ad fidem, vel si Infidelis voluerit ei cohabitare, Fidelis altero viuente contrahere non poterit. Si autem Infidelis noluerit cohabitare Fidele, cum Fidele Infidelis viuente potest contrahere. Si autem vterque est conuersus*

sus ad fidem, vel si ab initio uterque fuisset fidelis, licet aliter eorum a fide discedat, alter tamen nullo modo contrahere potest, quia ratum fuit matrimonium inter eos. Atque hac distinctio est Canonice bona. Et probatur extra, de divorciis. Quando. Sic Glossa, cui nihil est in duabus aliis Capitum dictorum aduersum, deforme Textui, eaque de causa reformandum: unde neque ipsis Doctores contrarij niti poterunt. Quidquid de illa merito reprobanda assertione sit, ibidem occurrente; matrimonium scilicet coniugum infidelium solui quoad vinculum, si vno ad fidem conuerso alter recedat. Et est Ioannis Andreae non reprobata in Cap. Si infidelis, §. Ius: bene tamen in Cap. Gaudemus: unde iam reformatum quod P. Cornelius reformandum arbitratur.

64. Melius posset obici Cap. Iam nunc & Cap. Sic enim 28. quest. 1. vbi ex D. Augustino Lib. 1. de adulterinis coniugijs, Cap. 13. & seqq. statuit aperte D. Pauli monitionem precepti vim non habere, sed consilij. Verum id non obstat, quia illorum Capitum doctrina, cum solius D. Augustini sit, priuata illius sententia tantum est nata auctoritate: cum tamen Pontifices postea id decreuerint, quod in Iure, citatis Capitibus, habetur. Neque id mirum, cum Innocentius Tertius in citato Cap. Quamuis, cuiusdam Prædecessoris sui Decretalem Decisionem expungat verbis illis: *Quidam Prædecessor noster sentire aliter videatur.* Fuit autem ille Cælestinus Tertius in Cap. Laudabilem de conuersis, infidel. in quo iam non extat. Sic Glossa ibidem verb. Prædecessor. Pro quo & facit id, quod ipse Doctor sanctus scribit Lib. 2. Retractionum Cap. 57. in hunc modum: *Scripti duos libros de coniugijs adulterinis, quantum pertinet secundum Scripturas, cupiens solvere difficultissimam questionem. Quod vtrum enodatissime fecerim nescio: immo verò non me peruenisse ad huius rei perfectionem sentio: quamuis multos finu secus aperuerim: quod iudicare poterit quilibet intelligenter legit.*

Circa Caput XIX. & num. 450. & seqq.

Ubi de obligatione pauperum circa decimas, & consuetudine.

65. Sacra Rota in Decisione quadam 15. Ianuarij 1646. apud Dianam Parte 8. sic habet: Paupertas non excusat à solutione decimarum, nisi tanta quod si decimas soluerent, fame perirent. Sic illa, Auctores pro eo inducens; in quo tamen alij mitius loquuntur. Videndus Leander Parte 3. Tract. 6. Disput. 6. Quest. 28.

66. Et de vno foetu soluendam decimam iuxta estimationem, stante consuetudine, tradit P. Fagundez de 5. Ecclesie Precepto Lib. 1. Cap. 5. numer. 2. ex Rebuffo, quem transcribit Leander Tomo 2. Tractatu 9. Disput. 5. Quest. 12. unde non penitus damnanda videtur, nisi vbi foetus exiguae estimationis sit: neque enim de minimis curare generositas Ecclesie debet, de cuius nec curat Prætor.

Circa Caput XX. & num. 461.

Ubi de dispensatione in voto castitatis.

67. Quod Diana contra Croufers statuit adducens alios, de Religiosis statuerat Parte 6. Tract. 6. Resolut. 50. Et fragilitatem in vouente esse sufficientem causam dispensationis firmant multi, quos adducit & sequitur Parte 10. Tract. 12. Resolut. 1. §. Stando igitur, & sequenti. Vbi quod si non sufficiat, adiuncta tamen inconsideratio & leuitas in vouendo, causam sufficientem integrent, vt idem cum alijs determinat. Immo & sola sufficere leuitatem in vouendo, etiam si difficultas implendi non sit, sufficientem esse rationem docuerat cum alijs citata Parte 6. Tract. 7. Resolut. 24. quod bono nititur fundamento. Pater etiam Tamburinus Lib. 3. in Decalogum Cap. 16. §. 4. ex P. Sancio rationes ad dispensandum sufficientes adducit. Plus autem circa hoc vide in Indice. V. Votum.

Circa Caput XXI. & n. 466. & seqq. ac num. 153.

Ubi de dispensatione in petitione debiti.

68. Priuilegium Pij V. vim etiam nunc habere ex Leandro de Sacramento omnino videndo Tomo 2. Tract. 9. Disput. 24. Quest. 16. & 17. & Martino à S. Ioseph, proponit Diana Parte 10. Tract. 14. Resolut. 20. Vigere etiam aliud Iulij Secundi, ex eodem Leandro, & Mag. Candido habetur, iuxta quod censent illi Confessarios Regulares dispensare posse sine deputatione Prouincialis, & cum sola Localis Prælati facultate, quod & videtur probare Machadus Tomo 1. Lib. 5. Parte 3. Tract. 3. Documento 2. n. 2. ab eodem adductus: quidquid scrupulosius dixerat Parte 6. Tract. 8. Resolut. 32. & pro priuilegio Pij V. & aliorum videndus etiam Bossius Parte 1. Tractatu de Matrimonio, Cap. 5. numer. 10. & 14. licet abnuat P. Quintanad In Casibus Iubilei, Cap. 16. numer. 9. & 10. Qui tamen num 11. & 12. aperte suffragatur.

Circa Caput XXII. & num. 481. & seqq.

Ubi aa Indi excommunicationi subiaceant.

69. Facit pro illis quod ex Martino à S. Ioseph habet Diana Parte 10. Tract. 12. Resolut. 36. in fine, addens Leandrum & Trulench, pueros scilicet ante duodecimum annum non esse obnoxios excommunicationi, quæ ab Ecclesia pro suorum præceptorum violatione decernitur, de quo ipse alibi, & consulti eiusdem Summa potest. Plus autem cum alijs addit Vericelli Tomo 1. Tract. 8. Quest. 66. num. 33. pueros scilicet ante decimumquartum non ligari, &

ante

duodecimum puellas, & de excommunicatione agit ab Episcopis imposta, sed aliorum sententia generaliter loquentium innixus. Ex quibus est etiam & Leander Tomo 1. Tract. 5. Disput. 3. Quest. 57. generaliter loquens, plenam ad incursum exigit pubertatem, plures pro eo adducens; licet addat ad minus duodecimum requiri in pueris, nihil de fœminis adiiciens. Pueris autem Indi communiter loquendo simillimi, licet multi, vt alijs dixi, Europæos plures exæquent ac superent, circa quos regula indicata seruanda.

AD TITVLVM XIII.

Circa Caput III.

Ubi de necessariâ presentatione Litterarum Apostolicarum ad ineundum Episcopatum.

70. Via post scripta citato in Capite, & prælo transmissa, circa casum, de quo ibidem Decretum Sacrae Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum vulgata est, & SS. D. Alexandri VII. Apostolicum Breue eidem conforme proditum, quibus ea, quæ à Nobis dicta, videntur aliquatenus infirmari: operæ pretium duxi ea hoc loco addere, quæ in negotio adeo perplexo conducere poterunt, erratis quorundam ex sinistra intelligentiâ confutatis. Breue ergo, in quo & Decreti specifica mentio, sic se habet.

ALEXANDER PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Alia pro parte Vener. Fratris Episcopi Ciuitatis Assumptionis, nuncupate Prouincie Paraquariensis in Indijs Occidentalibus, Congregationi Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, expositum, quod ipse Episcopus possessionem Ecclesie Ciuitatis Assumptionis huiusmodi apprehendisset, & se à Venerabili etiam Fratre Episcopo Tucumanensi consecrari curasset, non presentatis Litteris Apostolicis prouisionis & præfectionis sue in Episcopum eiusdem Ecclesie, quæ tamen reuera concessa prius & expedita fuerant; de quæ ipsa concessione & expeditio, præuis aliquibus informationibus, aliquatenus constabat. Quodque consecratio huiusmodi ab vno prædicto Episcopo Tucumanensi, assistentibus duobus de Capitulo Canonicis, peracta fuisset, non exhibito Apostolico dispensationis indulto; quod tamen reipsa prius concessum fuerat, & sub aliquâ huiusmodi concessionis notitiâ, aut saltem præsumptione, (quia scilicet Sedes Apostolica

solita sit circa numerum Episcoporum dispensare cum Episcopis consecrandis in Indijs) prænarrata consecratio facta fuerat. Ac quesito Primò, an prædicta possessio, non presentatis Litteris Apostolicis, apprehensa fuerit legitima? Secundo, an prænarrata Consecratio, vt supra peracta, fuerit valida? Prædicta Cardinalium Congregatio die quidem 1. Septembris 1657. respondit ad Primum non fuisse legitimam, Ad secundum verò eadem Congregatio die 15. Decembris dicti anni, re mature discussa, secundum ea, quæ proponebantur respondit prædictam consecrationem Episcopi Paraquariensis, quantum spectat ad Sacramentum, & impressionem Characteris, fuisse validam. Quantum verò spectat ad licitam executionem Ordinis fuisse irritam & inane, & Episcopum ita consecratum, ac respectiue consecratem, indigere absolute ac dispensatione. Quare pro parte eorundem Ciuitatis Assumptionis & Tucumanensis Episcoporum, Nobis humiliter supplicatum est, vt eorum statui oportune in præmissis prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur specialem eisdem Episcopis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, Censuris, & penis, à iure, vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate extiterint, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serè absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, ipsos Ciuitatis Assumptionis & Tucumanensis Episcopos, & eorum singulos, à Censuris & penis Ecclesiasticis quibuslibet per eos occasione consecrationis, sicut præmittitur, peractæ, quoquo modo respectiue incurfis, & quas ipsi incurfisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, Auctoritate Apostolica tenore presentium absoluiimus, & plenariè liberamus. Ac cum eisdem Episcopis, & eorum singulis, super irregularitate per eos præmissorum occasione quomodolibet contractâ; ita quod illa, & eisdem præmissis non obstantibus, dummodo non aliud Canonicum respectiue obstet impedimentum, Clericali charactere, quo aliàs, ritè insigniti fuerunt, illiusque priuilegijs vti, ac in susceptis per eos pariter ritè quatuor Minoribus, nec non sacris Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus, etiam in Altaris ministerio, ministrare, Episcopaliaque munia obire, exequi,

LIII 4